

AVIENUS

ORA MARITIMA (699 vers)

Le texte numérique utilisé pour cette édition, et qui, hélas, est resté notre unique source, s'est révélé d'une qualité plus que médiocre. N'ayant pu nous procurer aucune édition sur papier, nous avons dû, pour que le texte soit, par endroit, intelligible et scandable, faire un certain nombre de restitutions pour des vers lacuneux, voire absents (et non signalés comme tels dans les manuscrits ?). Pour ce faire nous nous sommes appuyés sur une traduction, ancienne, mais manifestement établie à partir d'un texte plus sérieux que le nôtre.

Notre but, évidemment, n'était pas de rivaliser avec Avienus, mais de rétablir une continuité sémantique du poème et une cohérence métrique.

(Les modifications et les additions sont signalées, selon l'usage, par des crochets obliques < >)

v.1 Quaesisse temet saepe cogitans, Probe,
 2 animo atque sensu, Taurici ponti situs
 3 capi ut valeret his probabili fide
 4 quos distinerent spatia terrarum extima,
 5 subi libenter id laboris, ut tibi
 6 desideratum carmine hoc claresceret.
 7 Fas non putavi quippe prolixa die
 8 non subjacere sensui formam tuo
 9 regionis ejus quam vetustis paginis
 10 et quam per omnem spiritus nostri diem
 11 secretiore lectione acceperam.
 12 Alii invidere namque, quod dispendio
 13 tibi haud sit ullo, agrestis et duri reor.
 14 His addo et illud, liberum temet loco
 15 mihi esse amore sanguinisque vinculo.
 16 Neque sat sit istud, ni sciam te litteras
 17 hiantibusque faucibus veterum abdita
 18 hausisse semper, esse patuli pectoris,
 19 sensu capacem, talium jugem sitim
 20 tuo esse cordi et esse te prae ceteris
 21 memorem intimati. Cur inefficaciter
 22 secreta rerum in non tenacem effunderem ?
 23 In non sequacem quis profunda ogganniat ?
 24 Multa ergo, multa compulere me, Probe,
 25 efflagitatam rem tibi ut persolverem.
 26 Quin et parentis credidi officium fore,
 27 desideratum si tibi locupletius
 28 profusiusque Musa promeret mea.
 29 Dare expetitur quippe non parci viri est,
 30 augere porro muneris summam novo
 31 mentis benignae satque liberalis est.
 32 Interrogati, si tenes, Maeotici
 33 situs quis esset aequoris. Sallustium
 34 noram id dedisse, dicta et ejus omnibus
 35 praejudicatae auctoritatis ducier
 36 non abnuebam. Ad ejus igitur inclytam,
 37 descriptionem, qua locorum formulam
 38 imaginemque expressor efficax stili
 39 et veritatis paene in optutus dedit

40 lepore linguae, multa rerum junximus
 41 ex plurimorum sumpta commentariis.
 42 Hecataeus istic quippe erit Milesius
 43 Hellanicusque Lesbios, Phileas quoque
 44 Atheniensis, Caryandaeus Scylax,
 45 Pausimachus inde, prisca quem genuit Samos,
 46 quin et Damastus nobili natus Sige
 47 Rhodoque Bacoris ortus, Euctemon quoque
 48 popularis urbe Atticae Siculus Cleon,
 49 Herodotus ipse Thurius, tum qui decus
 50 magnum loquendi est, Atticus Thucydides.
 51 Hic porro habebis, pars mei cordis Probe,
 52 quicquid per aequor insularum attollitur
 53 (per aequor illud scilicet, quod post cava
 54 hiantis orbis a freto Tartessio
 55 Atlanticisque fluctibus procul sitam
 56 in usque glaeba proruit nostrum mare)
 57 sinusque curvos atque prominentia,
 58 (ut se supino porrigat litus situ,
 59 ut longe in undas inserant sese juga)
 60 celsaeque ut urbes alluantur aequore,
 61 quis ortus amnis maximos effuderit,
 62 ut prona ponti gurgitem intrant flumina
 63 ut ipsa rursus saepe cingant insulas
 64 sinuentque late ut tuta portus bracchia,
 65 ut explicentur stagna, ceu jaceant lacus,
 66 scruposum, ut alti verticem montes levent
 67 stringatque nemora ut unda cana gurgitis.
 68 Laboris autem terminus nostri hic erit,
 69 Scythicum ut profundum et aequor Euxini sali
 70 et siquae in illo marmore insulae tument,
 71 edisserantur. Reliqua porro scripta sunt
 72 nobis in illo plenius volumine,
 73 quod de orbis oris partibusque fecimus.
 74 Ut aperta vero tibimet intimatio
 75 sudoris hujus et laboris sit mei
 76 narrationem opusculi paulo altius
 77 exordiemur. Tu per intimum jecur
 78 prolata conde, namque fulcit haec fides
 79 petita longe et eruta ex auctoribus.
 80 Terrae patentis orbis effuse jacet
 81 orbique rursus unda circumfunditur.
 82 Sed qua profundum semet insinuat mare
 83 Oceano ab usque, ut gurges hic nostri maris
 84 longe explicetur, est Atlanticus sinus.
 85 Hic Gadir urbs est, dicta Tartessus prius,
 86 hic sunt columnae pertinacis Herculis
 87 Abila atque Calpe, haec laeva dicti caespitis,
 88 Libyae propinqua est Abila. Duro perstrepunt
 89 et prominentis hic jugi surgit caput,
 90 Oestrymnin istud dixit aevum antiquius,
 91 molesque celsa saxei fastigii
 92 tota in tepentem maxime vergis Notum.
 93 Sub hujus autem prominentis vertice
 94 sinus dehiscit incolis Oestrymnicus,
 95 in quo insulae sese exserunt Oestrymnides,
 96 laxae jacentes et metallo divites
 97 stanni atque plumbi. Multa vis hic gentis est,

98 superbus animus, efficax solertia,
99 negotiandi cura jugis omnibus,
100 netisque cumbis turbidum late fretum
101 et beluosi gurgitem Oceani secant.
102 Non hi carinas quippe pinu texere
103 et acere norunt, non abiete, ut usus est,
104 curvant faselos, sed rei ad miraculum
105 navigia junctis semper aptant pellibus
106 corioque vastum saepe percurrunt salum.
107 Ast hinc duobus in sacram, sic insulam
108 dixere prisca, solibus cursus rati est.
109 Haec inter undas multam caespitem jacet,
110 eamque late gens Hibernorum colit.
111 Propinqua rursus insula Albionum patet.
112 Tartessiisque in terminos Oestrymnum
113 negotiandi mos erat. Carthaginis
114 etiam coloni et vulgus inter Herculis
115 agitans columnas haec adibant aequora,
116 quae Himilco Poenus mensibus vix quattuor
117 ut ipse semet re probasse rettulit
118 enavigantem, posse transmitti adserit.
119 Sic nulla late flabra propellunt ratem,
120 sic segnis umor aequoris pigri stupet.
121 Adicit et illud : plurimum inter gurgites
122 extare fucum et saepe virgulti vice
123 retinere puppim. Dicit hic nihilominus
124 non in profundum terga demitti maris
125 parvoque aquarum vix supertexi solum.
126 Obire semper huc et huc ponti feras,
127 navigia lenta et languide repentina
128 internatare beluas. Siquis dehinc
129 ab insulis Oestrymnicis lembum audeat
130 urgere in undas, axe qua Lycaonis
131 rigescit aethra, caespitem Ligurum subit
132 cassum incolarum. Namque Celtarum manu
133 crebrisque dudum proeliis vacua arva sunt
134 Liguresque pulsi, ut saepe fors aliquos agit,
135 plerumque dumos. Creber his scrupus locis
136 rigidaeque rupes atque montium minae
137 caelo inseruntur. Et fugax gens haec quidem
138 diu inter arta cautium duxit diem
139 secreta ab undis. Nam sali metuens erat
140 priscum ob periculum, post quies et otium
141 securitate roborante audaciam
142 persuasit altis devehi cubilibus
143 atque in marinos jam locos descendere.
144 Post illa rursus quae supra facti sumus
145 magnus patescit aequoris fusi sinus
146 Ophiussam ad usque. Rursus ab hujus litore
147 internum ad aequor, qua mare insinuare se
148 dixi ante terris, quodque Sardum nuncupant,
149 septem dierum tenditur pediti via.
150 Ophiussa porro tanta panditur latus
151 quantam jacere Pelopis audis insulam
152 Graiorum in agro. Haec dicta primo Oestrymnis est
153 locos et arva Oestrymnicis habitantibus,
154 post multa serpens effugavit incolas
155 vacuamque glaebam nominis fecit sui.

156 <Post illa prominet in salum Veneris jugum.>
 157 Circumlatratque pontus insulas duas
 158 tenue ob locorum inhospitas. <Arvum dein>
 159 rursus tumescit prominens in asperum
 160 septentrionem cursus autem hinc classibus
 161 usque in columnas efficacis Herculis
 162 quinque est dierum. Post Pelagia est insula
 163 herbarum abundans adque Saturno sacra.
 164 Sed vis in illa tanta naturalis est
 165 ut siquis hanc innavigando accesserit,
 166 mox excitetur propter insulam mare,
 167 quatiatur ipsa et omne subsiliat salum
 168 alte intremescens cetero ad stagni vicem
 169 pelago silente. Prominens surgit dehinc
 170 Ophiussae in oras, abque <litoris> jugo
 171 in haec locorum bidui cursus patet.
 172 At qui dehiscit inde prolixo sinus,
 173 non totus uno facile navigabilis
 174 vento recedit ; namque medium accesseris
 175 Zephyro vehente, reliqua deponuntur Notum.
 176 Et rursus inde si petat quisquam pede
 177 Tartessorum litus, exuperet viam
 178 vix luce quarta. Si quis ad nostrum mare
 179 Malacaeque portum semitam tetenderit,
 180 in quinque soles est iter. Tum Cempsicum
 181 jugum intumescit. Subiacet porro insula
 182 Achale vocata ab incolis. Aegre est fides
 183 narrationi prae rei miraculo,
 184 sed quam frequens auctoritas sat fulciat :
 185 aiunt in hujus insulae confiniis
 186 numquam esse formam gurgiti reliquo parem.
 187 Splendorem ubique quippe inesse fluctibus
 188 vitri ad nitorem et per profundum marmoris
 189 coeaneam in undis esse certum imaginem est.
 190 Confundi at illic aequor immundo luto
 191 memorant vetusti semper atque sordibus
 192 ut faeculentos gurgites haerescere.
 193 Cempsi atque Sefes arduos collis habent
 194 Ophiussae in agro. Propter hos pernix Ligus
 195 Draganumque proles sub nivoso maxime
 196 septentrione conlocaverant larem.
 197 Paetanion autem est insula ad Sefum latus
 198 patulusque portus. Inde Cempsis adjacent
 199 populi Cynetum. Tum Cyneticum jugum,
 200 qua sideralis lucis inclinatio est,
 201 alte tumescens ditis Europae extimum
 202 in beluosi vergit Oceani salum.
 203 Ana amnis illic per Cynetas effluit
 204 sulcatque glaebam. Panditur rursus sinus
 205 cavusque caespes in meridiem patet.
 206 Memorato ab amni gemina sese flumina
 207 scindunt repente perque praedicti sinus
 208 crassum liquorem (quippe pinguescit luto
 209 omne hic profundum) lenta trudunt agmina.
 210 Hic insularum semet alte subrigit
 211 vertex duarum. Nominis minor indiga est,
 212 aliam vocavit mos tenax Agonida.
 213 Inhorret inde rupibus cautes sacra

214 Saturni et ipsa. Fervet inlissum mare
 215 litusque late saxum distenditur.
 216 Hirtae hic capellae et multus incolis caper
 217 dumosa semper intererrant caespitem,
 218 castrorum in usum et nauticis velamina
 219 productiores et graves setas alunt.
 220 Hinc dictum ad amnem solis unius via est,
 221 genti et Cynetum hic terminus. Tartessus
 222 ager his adhaeret adluitque caespitem
 223 Tartessus amnis. Inde tenditur jugum
 224 Zephyro sacratum. Denique arcis summitas
 225 Zephyris vocata. Celsa sed fastigia
 226 jugo eriguntur verticis. Multus tumor
 227 conscendit auras et supersidens quasi
 228 caligo semper nubilum condit caput.
 229 Regio omnis inde maxime herboso solo est,
 230 nebulosa iuge his incolis convexa sunt,
 231 coactus aer atque crassior dies
 232 noctisque more ros frequens. Nulla, ut solet,
 233 flabra inferuntur, nullus aethram discutit
 234 superne venti spiritus, pigra incubat
 235 caligo terras et solum late madet.
 236 Zephyridos arcem siquis excedat rate
 237 et inferatur gurgiti nostri maris,
 238 flabris vehetur protinus favonii.
 239 Jugum inde rursus et sacrum infernae deae
 240 divesque fanum, penetral abstrusi cavi
 241 adytumque caecum. Multa propter est palus
 242 Erebea dicta. Quin et Herbi civitas
 243 stetisse fertur his locis prisca die,
 244 quae proeliorum absumpta tempestatibus
 245 famam atque nomen sola liquit caespiti.
 246 At Hiberus inde manat amnis et locos
 247 fecundat unda. Plurimi ex ipso ferunt
 248 dictos Hiberos, non ab illo flumine
 249 nam quicquid amnem gentis hujus adjacet
 250 occiduum ad axem, Hiberiam cognominant.
 251 Pars porro eoa continet Tartessios
 252 et Cilbicenos. Cartare post insula est
 253 eamque pridem, influxa et est satis fides,
 254 tenuere Cempsii. Proximorum postea
 255 pulsi duello, varia quaesitum loca
 256 se protulere. Cassius inde mons tumet.
 257 Et Graia ab ipso lingua cassiterum prius
 258 stannum vocavit. Inde fani est prominens
 259 et quae vetustum Graeciae nomen tenet,
 260 Gerontis arx est eminus. Namque ex ea
 261 Geryona quondam nuncupatum accepimus.
 262 Hic ora late sunt sinus Tartessii.
 263 Dictoque ab amni in haec locorum puppibus
 264 via est diei. Gadir hic est oppidum,
 265 nam Punicorum lingua consaeptum locum
 266 Gadir vocabat. Ipsa Tartessus prius
 267 cognominata est. Multa et opulens civitas
 268 aeo vetusto, nunc egena, nunc brevis,
 269 nunc destituta, nunc ruinarum agger est.
 270 Nos hic locorum, praeter Herculaneam
 271 solemnitatem vidimus miri nihil.

272 At vis in illis tanta vel tantum decus
 273 aetate prisca sub fide rerum fuit,
 274 rex ut superbus omniumque praepotens,
 275 quos gens habebat forte tum Maurusia,
 276 Octaviano principi acceptissimus
 277 et litterarum semper in studio Juba
 278 interfluoque separatus aequore,
 279 inlustriorem semet urbis istius
 280 duumviratu crederet. Sed insulam
 281 Tartessus amnis ex Ligustino lacu
 282 per aperta fusus undique adlapsu ligat.
 283 Neque iste tractu simplici provolvitur
 284 unusve sulcat subjacentem caespitem,
 285 tria ora quippe parte eoi luminis
 286 infert in agros, ore bis gemino quoque
 287 meridianas civitates adluit.
 288 At mons paludem incumbit Argentarius
 289 sic a vetustis dictus ex specie sui.
 290 Stagno iste namque latera plurimo nitet
 291 magisque in auras eminus lucem evomit,
 292 cum sol ab igni celsa perculerit juga.
 293 Idem amnis autem fluctibus stagni gravis
 294 ramenta volvit invehitque moenibus
 295 dives metallum. Qua dehinc ab aequore
 296 salsi fluenti vasta per medium soli
 297 regio recedit, gens <Emanium> accolitur.
 298 Atque inde rursus usque Cempsorum sata
 299 Ileaates agro se feraci porrigunt.
 300 Maritima vero Cilbiceni possident.
 301 Gerontis arcem et prominens fani, ut supra
 302 sumus elocuti, distinctet medium salum
 303 interque celsa, cautium cedit sinus.
 304 Jugum ad secundum flumen amplum evolvitur.
 305 Tartessorum mons dehinc attollitur
 306 silvis opacus. Hinc Erythia est insula
 307 diffusa glaebam et juris olim Punici.
 308 Habuere primo quippe eam Carthaginis
 309 priscae coloni interfluoque scinditur
 310 a continente quinque per stadia mari
 311 Erythia. Ab arce qua diei occasus est,
 312 Veneri marinae consecrata est insula
 313 templumque in illa Veneris et penetral cavum
 314 oraculumque. Monte ab illo, quem tibi
 315 horrere silvis dixeram, ad Veneris jugum,
 316 litus recline et molle harenarum jacet,
 317 in quas Besilus atque Cilbus flumina
 318 urgent fluentum. Post in occiduum diem
 319 Sacrum superbas erigit cautes jugum.
 320 Locum, hunc vocavit Herma quondam Graecia.
 321 Est Herma porro caespitem munitio,
 322 interfluumque altrinsecus munit lacum.
 323 Aliique rursus Herculis dicunt viam
 324 stravisse quippe maria fertur Hercules,
 325 iter ut pateret facile captivo gregi.
 326 Porro illud Herma jure sub Libyci soli
 327 fuisse pridem plurimi auctores ferunt.
 328 Nec respuendus testis est Dionysius,
 329 Libyae esse finem qui docet Tartessium.

330 Europae in agro, quod vocari ab incolis
 331 Sacrum indicavi, prominens subducitur.
 332 Locos utrosque interfluit tenue fretum.
 333 Quod Herma porro aut Herculis dictum est via,
 334 Amphipolis urbis incola Euctemon ait,
 335 non plus habere longitudinis modo
 336 quam porriguntur centum et octo milia
 337 et distineri terras milibus tribus.
 338 Hic Herculanæ stant columnæ, quas modum
 339 utriusque haberi continentis legimus.
 340 Sunt paria porro saxa prominentia
 341 Abila atque Calpe. Calpe in Hispano solo,
 342 Maurusiorum est Abila. Namque Abilam vocant
 343 gens Punicorum mons quod altus barbaro est,
 344 id est Latino, dici ut auctor Plautus est.
 345 Calpeque rursus in Graecia species cavi
 346 teretisque vasis nuncupatur urcei.
 347 Atheniensis dicit Euctemon item
 348 non esse saxa aut vertices adsurgere
 349 parte ex utraque. Caespitem Libyci soli
 350 Europae et oram memorat insulas duas
 351 interjacere ; nuncupari has Herculis
 352 ait columnas ; stadia triginta refert
 353 has distingere ; horrere silvis undique
 354 inhospitasque semper esse nauticis.
 355 Inesse quippe dicit ollis Herculis
 356 et templa et aras. Invehi advenas rate,
 357 deo litare, abire festino pede,
 358 nefas putatum demorari in insulis.
 359 Circum atque juxta plurimo tractu jacens
 360 manere tradit tenue prolixè mare.
 361 Navigia onusta adire non valent locos
 362 breve ob fluentum et pingue litoris lutum.
 363 Sed si voluntas forte quem subegerit
 364 agere carinam, eximere classi pondera,
 365 levique cymba sic superferri salo.
 366 Sed ad columnas quicquid interfunditur
 367 undae aestuantis, stadia septem vix ait
 368 Damastus esse. Caryandæus Scylax
 369 medium fluentum inter columnas adserit
 370 tantum patere quantus aestus Bosporo est.
 371 Ultra has columnas propter Europae latus
 372 vicos et urbes incolae Carthaginis
 373 tenuere quondam. Mos at ollis hic erat
 374 ut planiore texerent fundo rates,
 375 quo cymba tergum fusior brevius maris
 376 praelaberetur. Porro in occiduam plagam
 377 ab his columnis gurgitem esse interminum,
 378 late patere pelagus, extendi salum
 379 Himilco tradit. Nullus haec adiit freta,
 380 nullus carinas aequor illud intulit,
 381 desint quod alto flabra propellentia
 382 nullusque puppim spiritus caeli juvet ;
 383 dehinc quod aethram quodam amictu vestiat
 384 caligo, semper nebula condat gurgitem
 385 et crassiorem nubilum perstet die.
 386 Oceanus iste est, orbis effusi procul
 387 circumlatrator, iste pontus maximus,

388 hic gurges oras ambiens, hic intimi
389 salis inrigator, hic parens nostri maris.
390 Plerosque quippe extrinsecus curvat sinus
391 nostrumque in orbem vis profundi inlabitur.
392 Sed nos loquemur maximos tibi quattuor.
393 Prima hujus ergo in caespitem insinuatio est
394 Hesperius aestus atque Atlanticum salum ;
395 Hyrcana rursus unda, Caspium mare ;
396 salum Indicorum, terga fluctus Persici ;
397 Arabsque gurges sub tepente jam Noto.
398 Hunc usus olim dixit Oceanum vetus,
399 <alius tamen mavult Atlanticum mare.>
400 Longo explicatur gurges hujus ambitu
401 produciturque latere prolixo vago.
402 Plerumque porro tenue tenditur salum
403 ut vix harenas subjacentes occulat.
404 Exuperat autem gurgitem fucus frequens,
405 atque impeditur aestus hic uligine.
406 Vis beluarum pelagus omne internatat
407 multusque terror ex feris habitat freta.
408 Haec olim Himilco Poenus Oceano super
409 spectasse semet et probasse rettulit.
410 Haec nos ab imis Punicorum annalibus
411 prolata longo tempore edidimus tibi.
412 Nunc jam recursus ad priora sit stilo.
413 Igitur columnae, ut dixeram, Libystidis
414 Europae in agro adversa surgit altera.
415 Hic Chrysus amnis intrat altum gurgitem ;
416 ultra citraque quattuor gentes colunt.
417 Nam sunt feroces hoc Libyphoenices loco
418 sunt Massieni, regna Cilbicena sunt,
419 feraces agri, et divites Tartessii,
420 qui porriguntur in Calacticum sinum.
421 Hos propter autem mox jugum Barbetium est
422 Malachaeque flumen urbe cum cognomine
423 Menace priore quae vocata est saeculo.
424 Tartessorum juris illic insula
425 antistat urbem, Noctilucae ab incolis
426 sacrata pridem. In insula stagnum quoque
427 tutusque portus. Oppidum Menace super.
428 Qua sese ab undis regio dicta subtrahit,
429 Sisurus alto mons tumet cacumine.
430 Adsurgit inde vasta cautes et mare
431 intrat profundum. Pinus hanc quondam frequens
432 ex se vocari sub sono Graio dedit.
433 Fanumque ad usque Veneris ac Veneris jugum
434 litus recumbit. Porro in isto litore
435 stetera crebrae civitates antea
436 Phoenixque multus habuit hos pridem locos.
437 Inhospitales nunc harenas porrigit
438 deserta tellus, orba cultorum sola
439 squalent jacentque. Veneris ab dicto jugo
440 spectatur Herma caespitis Libyci procul,
441 quod ante dixit. Litus hic rursus patet
442 vacuum incolarum nunc et abjecti soli.
443 Porro ante et urbes hic stetera plurimae
444 populique multi concelebrarunt locos.
445 Spatiosus inde portus oppidum prope

446 se Massienum curvat alto ab aequore
 447 sinuque in imo surgit altis moenibus
 448 urbs Massiena. Post jugum Traete eminent
 449 brevisque juxta Strongyle stat insula.
 450 Dehinc in hujus insulae confiniis
 451 immensa tergum latera diffundit palus.
 452 Theodorus illic (nec stupori sit tibi
 453 quod in feroci barbaroque sat loco
 454 cognomen hujus Graeciae accipis sono)
 455 proreperit amnis. Ista Phoenices prius
 456 loca incolebant. Rursus hinc se litoris
 457 fundunt harenae et litus hoc tres insulae
 458 cinxere late. Hic terminus quondam stetit
 459 Tartessorum, hic Herna civitas fuit.
 460 Gymnetes istos gens locos insederant ;
 461 Alebus ad usque praefluentis alveum,
 462 nunc destitutus et diu incolis carens
 463 sibi sonorus amnis Alebus effluit.
 464 Post haec per undas insula est Gymnesia,
 465 populo incolarum quae vetus nomen dedit
 466 <qui nunc Sicani fluminis ripam occupant.>
 467 Pityussae et inde proferunt sese insulae
 468 Baliarium ac late insularum dorsa sunt.
 469 Et contra Hiberi in usque Pyrenae jugum
 470 jus protulere propter interius mare
 471 late locati. Prima eorum civitas
 472 Ilerda surgit. Litus extendit dehinc
 473 steriles harenas. Hemeroscopium quoque
 474 habitata pridem hic civitas. Nunc jam solum
 475 vacuum incolarum languido stagno madet.
 476 Attollit inde se Sicana civitas,
 477 propinquo ab amni sic vocata Hibericis.
 478 Neque longe ab hujus fluminis divortio
 479 praestringit amnis Tyrius oppidum Tyrin.
 480 Dumosa late terga regio porrrigit.
 481 Bebryces illic, gens agrestis et ferox,
 482 pecorum frequentes intererrabat greges.
 483 Hi lacte semet atque pingui caseo
 484 praedure alentes proferebant spiritum
 485 vicem ad ferarum. Post Crabrasiae jugum
 486 procedit alte ac nuda litorum jacent
 487 ad usque desertae Cherronesi terminos.
 488 Palus per illa Naccararum extenditur.
 489 Hoc nomen isti nam paludi mos dedit
 490 stagnique medio parva surgit insula
 491 ferax olivi et hinc Minervae stat sacra.
 492 Fuere propter civitates plurimae.
 493 Quippe hic Hylactes Hystra Sarna et nobiles
 494 Tyrichae steterunt. Nomen oppido vetus,
 495 gazae incolarum maxime memorabiles,
 496 per orbis oras. Namque praeter caespitis
 497 fecunditatem, qua pecus, qua palmitem,
 498 qua dona flavae Cereris educat solum,
 499 peregrina Hiberno subvehuntur flumine.
 500 Juxta superbum mons Sacer caput exerit
 501 Oleumque flumen proxima agrorum secans
 502 geminos jugorum vertices interfluit.
 503 Mons quippe Sellus (nomen hoc monti est vetus)

504 ad usque celsa nubium subducitur
505 adstabat istum civitas Lebedontia
506 priore saeclo, nunc ager vacuus lare
507 lustra et ferarum sustinet cubilia.
508 Post haec harenae plurimo tractu jacent,
509 per quas Salauris oppidum quondam stetit,
510 in quis et olim prisca Callipolis fuit,
511 Callipolis illa, quae per altam moenium
512 proceritatem et celsam per fastigia
513 subibat auras, quae laris vasti ambitu
514 latere ex utroque piscium semper ferax
515 stagnum premebat. Inde Tarraco oppidum
516 et Barcilonum amoena sedes ditium.
517 Nam pandit illic tuta portus brachia,
518 uvetque semper dulcibus tellus aquis.
519 Post Indigetes asperi se proferunt,
520 gens ista dura, gens ferox venatibus
521 lustrisque inhaerens. Tum jugum Celebandicum
522 in usque salsam dorsa porrigit Thetim.
523 Hic adstitisse civitatem Cypselam
524 jam fama tantum est. Nulla nam vestigia
525 prioris urbis asperum servat solum.
526 Dehiscit illic maximo portus sinu
527 cavumque late caespitem inrepat salum.
528 Post quae recumbit litus Indigeticum.
529 Pyrenae ad usque prominentis verticem.
530 Post litus illud, quod jacere diximus
531 tractu supino, se Malodes exserit
532 mons inter undas et tument scopuli duo
533 geminusque vertex celsa nubium petit.
534 Hos inter autem portus effuse jacet
535 nullisque flabris aequor est obnoxium.
536 Sic omne, late praelocatis rupibus,
537 latus ambiere cautium cacumina,
538 interque saxa immobilis gurgis latet,
539 quiescit aequor, pelagus inclusum stupet.
540 Stagnum inde Toni montium in radicibus
541 Tononitaeque attollitur rupis jugum.
542 Per quae sonorus volvit aequor spumeum
543 Anystrus amnis et salum fluctu secat.
544 Haec propter undas atque salsa sunt freta.
545 At quicquid agri cedit alto a gurgite,
546 Ceretes omne et Acroceretes prius
547 habuere duri, nunc pari sub nomine
548 gens est Hiberum. Sordus inde denique
549 ac pertinentes usque ad interius mare
550 qua piniferae stant Pyrenae vertices
551 inter ferarum lustra ducebant diem
552 et arva late et gurgitem ponti premunt.
553 In Sordiceni caespitis confinio
554 quondam Pyrene civitas ditis laris
555 stetisse fertur hicque Massiliae incolae
556 negotiorum saepe versabant vices.
557 Sed in Pyrenen ab columnis Herculis
558 Atlanticoque gurgite et confinio
559 Zephyridis orae cursus est celeri rati
560 septem dierum. Post Pyrenaeum jugum
561 jacent harenae litoris Cynetici,

562 easque late sulcat amnis Rhoscinus.
 563 Hoc Sordicenae, ut diximus, glaebae solum est.
 564 Stagnum hic palusque quippe diffuse patet,
 565 et incolae istam Sordicem cognominant.
 566 Praeterque vasti gurgitis crepulas aquas
 567 (nam propter amplum marginis laxae ambitum
 568 ventis tumescit saepe percellentibus)
 569 stagno hoc ab ipso Sordus amnis effluit.
 570 Rursusque ab hujus effluentis ostiis
 571 Litus dehinc
 572 sinuatur alto et propria per dispendia
 573 caespes cavatur, repit unda largior
 574 molesque multa gurgitis distenditur.
 575 Tris namque in illo maximae stant insulae
 576 saxisque duris pelagus interfunditur.
 577 Nec longe ab isto caespitis rupti sinus
 578 alter dehiscit insulasque quattuor
 579 (at priscus usus dixit has omnis Piplas)
 580 ambit profundo. Gens Elesycum prius
 581 loca haec tenebat atque Narbo civitas
 582 erat ferocis maximum regni caput.
 583 Hic salsum in aequor amnis Attagus ruit
 584 Heliceque rursus hic palus juxta. Dehinc
 585 Besaram stetisse fama casca tradidit.
 586 At <ecce> Ledus, <ecce> Orobis flumina
 587 vacuos per agros et ruinarum aggeres
 588 amoenitatis indices priscae meant.
 589 Nec longe ab istis Thyrius alto evolvitur
 590 [versus desunt]
 591 numquam excitentur fluctuum volumina
 592 sternatque semper gurgitem Alcyonae quies.
 593 Vertex at hujus cautis e regione se
 594 illi eminenti porrigit, quod Candidum
 595 dixi vocari. Blasco propter insula est
 596 teretique forma caespes editur salo.
 597 In continenti et inter adsurgentium
 598 capita jugorum rursus harenosi soli
 599 terga explicantur seque fundunt litora
 600 orba incolarum. Setius inde mons tumet
 601 procerus arcem et pinifer. Setii jugum
 602 radice fusa in usque Taphros pertinet.
 603 Taphrum paludem namque gentici vocant
 604 Rhodani propinquam flumini. Hujus alveo
 605 Hibera tellus adque Ligyes asperi
 606 intersecantur. Hic sat angusti laris
 607 tenuique censu civitas Polygium est.
 608 Tum Mansa vicus oppidumque Naustalo
 609 et urbs... [lacune]
 610 [versus desunt]
 611 ejusque in aequor Cassius amnis influit.
 612 At Cimenice regio discedit procul
 613 salso ab fluento, fusa multo caespite
 614 et opaca silvis. Nominis porro auctor est
 615 mons dorsa celsus. Hujus imos aggeres
 616 stringit fluento Rhodanus atque scrupeam
 617 molem imminentis intererrat aequore.
 618 Ligures ad undam semel ab interni maris
 619 procul extulere. Sed quasi exposcit locus

620 Rhodani ut fluentum plenius tibi disseram.
621 Stili immorantis patere tracta, mi Probe.
622 Quippe amnis ortum, gurgitis lapsum vagi,
623 quas iste gentis lambat unda fluminis
624 quantoque manet incolis compendio
625 et ostiorum fabimur divortia.
626 Nivosum in auras erigunt Alpes jugum
627 a solis ortu et arva Gallici soli
628 intersecantur scrupeo fastigio
629 et anhela semper flabra tempestatibus.
630 Effusus ille et ore semet exigens
631 hiantis antri vi truci sulcat sola
632 aquarum in ortu et fonte primo naviger
633 at rupis illud erigentis se later,
634 quod edit amnem, gentici cognominant
635 "Solis Columnam". Tanto enim fastigio
636 in usque celsa nubium subducitur
637 meridianus sol ut oppositu jugi
638 conspicuus haut sit, cum relaturus diem
639 septentrionum accesserit confinia.
640 Scis nam fuisse ejus modi sententiam
641 Epicureorum : non eum occasu premi,
642 nullos subire gurgites, numquam occuli,
643 sed obire mundum, obliqua caeli currere,
644 animare terras, alere lucis pabulo
645 convexa cuncta et invicem regionibus
646 certis negati candidam Phoebi facem.
647 [versus desunt]
648 meridianam cum secuerit orbitam,
649 cum lumen axi Atlantico inclinaverit,
650 ut in supremos ignem Hyperboreos agat,
651 Achaemenioque semet ortui ferat,
652 discreta in aethrae flectitur curvo ambitu
653 metamque transit. Cumque nostro obtutui
654 jubar negarit atra nox caelo ruit,
655 caecaeque nostra protinus tenebrae tegunt.
656 Dies at illos clara tunc inluminat,
657 septentrione qui superposito rigent.
658 Cum rursus umbra noctis Arctoos habet,
659 genus omne nostrum splendidum ducit diem.
660 Meatus amnis autem a fonte per Tylangios,
661 per Daliternos, per Chabilcorum sata
662 Cemenicum et agrum - dura sat vocabula
663 auremque primam cuncta vulnerantia,
664 sed non silenda tibimet ob studium tuum
665 nostramque curam. Panditur porro in decem
666 flexus recursu gurgitum. Stagnum grave,
667 plerique tradunt, inserit semet dehinc,
668 vastam paludem, quam vetus mos Graeciae
669 vocitavit Accion, atque praecipites aquas
670 stagni per aequor egerit. Rursum effluus
671 artansque sese fluminum ad formam, dehinc
672 Atlanticos in gurgites, nostrum in mare
673 et occidentem contuens, evolvitur
674 patulasque harenas quinque sulcat hostiis.
675 Arelatus illic civitas attollitur,
676 Theline vocata sub priore saeculo
677 Graio incolente. Multa nos Rhodano super

678 narrare longo res subegerunt stilo.
679 At numquam in illud animus inclinabitur,
680 Europam ut isto flumine et Libyam adseram
681 disternari. Phileas hoc quamquam vetus
682 putasse dicat incolas. Despectui
683 derisuique inscitia haec sit barbara
684 et competente denotetur nomine.
685 Cursus carinae biduo et binotio est.
686 Gens hinc Veragri Bergineque civitas,
687 Salyes atroces, oppidum Mastramelae
688 priscum paludis, terga celsum prominens,
689 quod incolentes Citharistium vocant,
690 Massilia et ipsa est, cujus urbis hic situs :
691 pro fronte litus praejacet, tenuis via
692 patet inter undas, latera gurgis adluit,
693 stagnum ambit urbem et unda lambit oppidum
694 laremque fusa civitas paene insula est,
695 sic aequor omne caespiti infudit manus.
696 Labos at olim conditorum diligens
697 formam locorum et arva naturalia
698 evicit arte. Siquae prisca te juvat
699 haec in novella nominum deducere...